

Luis de la Cruz y Berda:

Beatissime Pater.

Sicut laborum consideratio vestrorum, ærumnarum, afflictionum, angustiarum, quibus á Potentissimo Europæ, vel potius orbis totius Tyranno sanctitas vestra fuit impetita ac depressa, maximo me dolore affecit; ita etiam summa sum exultatione in Domino perfusus, cum te jam redivivum, ut ita dicam, illæsum, incolumem gloriosioremq; contemlor, Deo et Patre Domini nostri Jesu-Christi sic disponente, Deo nempe totius consolationis, qui quidem ad majorem sui gloriam, nostrumque profectum humiliat et sublevat, deducit ad inferos, et reducit.

Siquidem Beatitudinem vestram contemplari e sede propria, Urbe orbis olim universi, nuncque saltem Ecclesiæ totius Catholicæ primaria ejectam, vel potius violenter ereptam, ad demissionem, vel etiam humiliationem teterrimam deductam, ea privatam libertate, quæ ad Ecclesiæ totius regimen non solum conveniens, sed etiam necessaria est, Petri nave sine gubernatore fluctuantem, non poterat, quin omnes in ipsa ad Cælestem Patriam navigantes, universos nempe Christi fideles recti sensus, bonæ voluntatis, pietatisque amatores, mœrore affligeret acerbissimo; ac præsertim Consodales, Confratresque

vestros universi nempe Christiani orbis Episcopos, qui quidem in angustiis, in rebus dubiis ad te debemus tamquam ad Parentem, tamquam ad unitatis centrum, totius Ecclesiae Caput, maximumque Doctorem recurrere, ad te tendere, a te percontari, te auscultare, utpote qui ab ipsomet supremo æternoque Pastore constitutus es ut confirmes fratres tuos. Afflixit certe vehementer animos nostros, meumque certissime, ac vehementissime difficillimus hic, ac miserimus rerum, temporumque status; itaque cum post horridam illam, atram, malorumque multorum minacem tempestatem, optatam video serenitatem restitutam à Deo illo bonitatis fonte, cujus judicia sunt vere inscrutabilia, quique neminem in se sperantem nimium affligi permitit, non possum revera cohibere letitiæ voluptatem, non possum Deo illi optimo maximo gratias non reddere indesinenter, Sanctitatique vestræ non gratulari; maxime cum nunc aperte video à Deo te esse deductum vel occulta sui dispositione, vel permissione (id nescio) ad ærumnas, ad angustias, ad tribulationes, ad conflictiones ut in ipsis magis, magisque apparerent sapientia, prudentia, humilitas, charitas, fortitudo, ac integritas vestra, atque ut nobis fratribus vestris omnibus harum omnium virtutum esses exemplo.

Itaque post grates Deo, qui te humiliavit, et erexit, humilime peractas, Sanctitati vestræ maximopere gratulor in ærumnis, in angustiis, in tribulatione et conflictione in quibus virtutes illæ vestræ clarissimæ quas in te donorum omnium largitori conferre placuit, resplenduerunt; ac postremo in erectione vestra, ac prosperitate, in qua vestra eluxit animi moderatio; Deumque enixe precor ut virtutes illas adamussim exercere fratres tui, filiique etiam omnes a te discamus. Faxit Deus ut te Christi imitatore tamquam exemplar intuentes a recta Cæli viâ non deflectamus, ovesque nobis creditas per

ipsam deducamus: faxitque etiam ut te unitatis centrum illæsum in sede vestra firmiter, ac indesinenter constitutum diu servet incolumen ad episcoporum omnium, et conctorum etiam christianorum profectum, ac solamen, sicut illum fervide exorat humilimus hic frater ac etiam filius vester, qui Sanctitatis vestræ genua pronus ac genuflexus deosculatur.

Datis Arequipæ XIV Kalendas Junias.

Beatissime Pater

Aloysius Episcopus Arequipensis.

ignam delictorum: laxius enim ut te unice centum illis
sum in sede vestra hinc, ac inde, ac inde, ac inde
vel iocundum ad episcopatum vestrum, et constantem enim
christianorum profectionem, ac salutem, sicut illum servare ex-
est hominum hic fieri ac etiam illis vestri, qui sanc-
tius vestri prope prous ac adhibere delectantur.

Datis Arquipages XIV Kalendas Julias.

Benissimo Patre

Magnus Episcopus Arquipensis.

M R